Digitized by Google

AD SANCTISS. D. N.

PAVLVM V.

ET RE ET NOMINE PONT. OPT. MAX.

Doctiſsimorum hominum Mæcenatem, & Patronum meum colendiſsimum.

Die Lunæ 16. Menſis Maij Anni 1605. In comitijs apud Sanctum Petrum habitis poſt primam horam noctis Summum Pontificem renuntiatum, & die 29. eiuſdem menſis Sacra Corona talis atque tanti Pontificis Caput exornauit.

Emmanuelis Conſtantini Luſitani & Sacræ Theologiæ Doctoris olim in almæ Vrbis Gymnaſio publici Profeſſoris, & Sacri Collegij Clerici.

Gratulatio pro Summo Pontificatu eiuſdem D. N. Pauli V. & re & nomine Opt. Max. & Sanctiſſ. Pontificis.

Bibliot. Coll. Rom. Soc. Jesu



ROMÆ, Apud Hæredes Aloyſij Zannetti, MDCVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Imprimatur, ſi placet Reuerendiſs. P. Magiſtro S.Pal.
B. Gypſius Epiſc. Arimin. Viceſger.

Nihil contra S. fidem, aut bonos mores inueni
Iacobus Candidus de mandato Reu.Patris S. Pal. Mag.

Imprimatur.
Fr.Paulus de Francis de Neap.Magiſter & ſocius Reuerendiſs. P. Magiſtri Sac. Pal. Apoſtolici.

Gratulatio pro Summo Pontificatu eiuſdem D. N. Pauli V. & re & nomine Op. Max. & Sanctiſs. Pontificis.

CVM primum fama per vniuerſam Vrbem propagauit Paulum V. vere Romanum incredibili totius Sacri Collegij gaudio & vnanimi conſenſu; illo non deſiderante ſed nec cogitante quidem; maxima totius Reipublicæ Chriſtianæ vtilitate Summum Pontificem fuiſſe renuntiatum. Vt vere dicere poſſim; à Domino factum eſt iſtud; & eſt mirabile in oculis noſtris, cum ſpiritus vbi vult ſpiret. Tantus omnium ætatum, atque ordinum ad tali atque tanto Pontifici gratulandum concurſus eſt factus; tanta effuſa omnis generis multitudo. Vt ipſi ſeptem colles, ipſa Vrbis mænia, ſi natura pateretur, ſedibus ſuis relictis, Paulo V. gratulatum prodire cupere viderentur. Et ſi poſſent alloqui per vniuerſam Vrbem lætantes tripudiarent & plauderent his verbis:

Quis neget hunc Patrem Patriæ? ſi ciuibus Vrbem;
Vrbi ſi reddet mænia? templa Deo?
Pace regas populos; bello contunde ſuperbos;
Parcere ſubiectis maxime ad aſtra via eſt.

SAN-

SANCTISSIMO D. N.

PAVLO V.

ET RE ET NOMINE

PONT. OPT. MAX.

Emanuel Conſtantinus eius ſeruus Neſtoreos annos, & perpetuam felicitatem exoptat.

CVM primum ad hunc maximum honoris apicem S. V. euecta fuit; tanta, mihi crede; lætitia triumphaui, vt ſtatim cogitarem, qua nam ratione tam hanc meam veriſsimam lætitiam, quam antiquiſſimam erga te ſeruitutem inſigni aliqua meæ voluntatis ſignificatione demonſtrarem. Nam ab hinc triginta annos tot tantaque à te accepi beneficia, vt illa ſine maximo meo ſcelere tacere non poſſim. Etenim triſtiſſimis meis temporibus te libertatis meæ & ſalutis auctorem, defenſoremque tribuiſti incredibili cum animo & voluntate. Nunc ergo, vt tot tantisq; a te in me collatis beneficijs gratum eſſe cognoſcas; nihil habui antiquius ad hanc meam, nulla mora interiecta, tibi ſignificandam lætitiam; quam; vt ad te pro tuo Summo Pontificatu ſtatim hanc gratulationem deferrem.

Qua tibi toto ex corde ſummum honorem gratu lor,non tam tibi quam vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ, quæ talem atque tantum Paſtorem tamdiu à nobis exoptatum & deſiderio atque votis petitum à Deo obtinuit. Adeo, vt vere dicere poſſimus,à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris, & ſi cui forte adhuc dubium fuerit hominum ne iuditio; an diuino numine Summi Pontifices crearētur,(quod tamen nemini vnquam bono dubium fuit) ea tota dubitatio Paule Sanctiſſime in tuis comitijs ſublata eſſe videatur, cum ſpiritus vbi vult ſpiret. Vnde merito omnes ſperāt ſub te Pontifice vniuerſam Chriſtianam Rempublicam illum antiquum ſplendorem omnium bonorum incredibili mærore apud pleraſque gentes opinionibus prauis & peſtiferis corruptum in ſingulos dies magis atque magis obſoleſcentem breui ſe tuo ductu atque auſpicijs recuperaturum. Hoc autem Paule Sanctiſſime de tua inaudita & præſtanti virtute pollicetur vniuerſus Orbis & merito, cum totius Eccleſiæ ſuæ precibus te Deus nobis concesſerit. Nam vt alia;ſic hoc ſancte atque ſapienter fuit inſtitutum à maioribus, vt quoties de Summo Pontifice in demortui locum eligendo ageretur. Dum ea de re in conclaui Cardinales deliberarent, nullus vnquam dies intermitteretur; quo non omnes tam publice, quam priuatim precarentur à Deo, vt eum ipſe gregi ſuo præficeret, quem ad publi-

cam

Digitized by Google

eam concordiam & tranquillitatem aut conſtituendam, aut conſeruandam quam digniſſimum; quem tandem, quantum humana conditio fert, ſui ſimilimum iudicaret. Quis ergo erit adeo rerum omnium ignarus & imperitus, qui in tuis Comitijs hoc non aſpexerit? Non enim fumoſæ maiorum tuorum imagines te ad iſtum maximum honorem euexere, ſed eadem illa virtus, quæ te perpetuo fuerat comitata; ad iſtam maximam extulit dignitatem: cum in te Summa plane atque prope diuina ſint omnia. Ideo in Eccleſiæ naui clauum tenes, à tuo nutu pendent leges, ad pedes tuos Reges ipſi ſuppliciter ſeſe abijciunt, tuo arbitrio panditur cælum, qui denique ſupra omne humanæ dignitatis faſtigium euectus Dei perſonam in terris inter homines ſuſtines. Igitur talis à Deo nobis conceſſus eſt Pontifex, qualem hæc noſtra adeo perturbata expoſcebant tempora. Noſtrorum vero is eſt ſtatus, vt nunquam magis ex iſtius Sedis auctoritate vniuerſi Orbis ſalus pependiſſe videatur. Non enim nauis Petri ſecundis conſpirantium ventorum flatibus, vt ſolebat, impulſa fertur placido mari, eam procellæ horribiles & turbines & vndarum vis vel Rectoribus exercitatiſsimis me tuenda agitat; vt quamquam nullum ex naufragio ſit periculum; procul dubio non mediocris tamen animos metus teneat, ne tam ſæua tempeſtas multos mortales nouarum opinionum fluctibus

bus

Digitized by Google

bus inuolutos, in ea breuia præcipites abripiat; vnde poſtea nec enatare ipſi, nec euadere atque emergere alieno auxilio poſſint. Maximas ergo & inceſſabiles gratias diuinæ bonitaii agere debemus, quæ rebus prope iam depoſitis, & in extremum periculum adductis, certe quidem in ſummum diſcrimen extremaq; ſpe pendentibus, eum nobis gnbernatorem dedit Deus, quo meliorem, & ad hæc omnia in melius conuertenda accommodatiorem, non dico reperire, ſed nec optare quidem aut cogitando informare poteramus. Si enim omni vitæ tuæ tempore ſemper pondus regiminis Romanæ Eccleſiæ à ſuperioribus Pontificibus tibi commiſſi tanta cum laude ſuſtinueris, vt vna eſſet omnium vox te Summo Pontificatu eſſe digniſſimum. Quanto hæc omnia, te Summo Pontifice renuntiato, & maiora & diuinitati propiora in te vniuerſus admiratur orbis? Videt enim te ſummo cum Imperio tanta cum populorum tuorum pace & amore atque concordia Catholicæ Eccleſiæ gubernacula tractantem; intuetur etiam illam tuam in periculis heroicam fortitudinem, in cognitionibus iuſtitiam, in dubijs conſtantiam, in conſilijs prudentiam, tantam & tam admirabilem clementiam; quantam in te quotidie experimur, quis vnquam in aliquo Principe vidit, legit, aut audiuit? Quanta vero tua in tuos ſubditos ſit comitas? appellabitur ne comitas, an humanitas? an

nouæ

Digitized by Google

nouæ & inauditæ virtuti quærendum nouum nomen ſit? Igitur Paule Sanctiſſime à Deo nobis conceſſe præripe poſteris tuis hanc gloriam, vt quod aliquando fieri neceſſe eſt, id vt te Pontifice fiat, enitere. Addatur hoc decus annalibus noſtris, vt olim in eis legatur prauas opiniones, quæ quaſi contagione quadam ſerpentes, per omnes propemodum Chriſtiani nominis prouincias peruaſerant, auctoritate tua, diſiectas, diſſipatas, exſtinctas & exterminatas fuiſſe. Memento te omnium noſtrum communem Patrem & Paſtorem eſſe, noſtram omnium ſalutem ab eo tibi commiſſam atq; creditam, qui cum Deus eſſet, humanam ſibi copulare naturam, vt peccata noſtra lueret, non recuſauit. Omnia ſperamus à te excitatum iri, quæ iacere ſentis tantis tamq; diuturnis diſſentionibus perculſa & proſtata. Videre iam videmur illud tempus, cum per te conſtituatur Eccleſiaſtici ordinis auctoritas, confirmentur veteres ritus, prauæ opiniones aboleantur; concordia, ne vnquam poſſit diſſolui, ſeueris legibus vinciatur. Multa perdidit apud Septentrionales prouincias Eccleſiaſticus ordo & ornamenta dignitatis & præſidia ſtabilitatis ſuæ, quæ niſi per te Paule Sanctiſſime recipiat, à nemine reſtitui poſſe cenſet. Signetur hoc præcipue titulo Pontificatus tuus, vt ſi quis quondam non expreſſo nomine Paulum V. velit intelligi, eum Pontificem dicat, qui affectis & ægrotis

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ membris tam ſalubrem medicinam adhibuerit, vt etiam ea; quæ deſperata videbantur, integra & incolumia conſeruauerit. Vnde auguratur animus te Pontifice terram illam, quæ vagitus Saluatoris noſtri naſcentis excepit, quæ eum concionantem audiuit, admirandis operibus diuinatis ſuæ ſigna dantem obſtupuit, ſpectauit ſublatum in Crucem & ſuo ſanguine peccata noſtra expiantem; ex impiorum manibus tandem recuperandam & eripiendam fore. O nos beatos, cum illa; vt ſperamus, euenerint. O te Pontificem modis omnibus maximum & beatiſſimum. Quæ futura eſt tam barbara, aut tam longinqua natio, quo non tanti beneficij à te in totum hominum genus collati fama perueniat? Quæ tam ingratæ litteræ; quæ de tuis tot tantiſq. laudibus hucuſque inauditis & incredibilibus conticeſcat? Quæ tam ſurda poſteritas, quæ clamores noſtros admiratione virtutis atque felicitatis tuæ excitatos non exaudiat? Sed de his nimis multa tibi Pontifici occupatiſſimo & grauiſſimis de Republica Chriſtiana negotijs & cogitationibus fatigato. Accipe ergo Paule Sanctiſſime hoc meæ tenuitatis munuſculum perexiguum illud quidem, ſi ex ſua aut ex tua dignitate ſpectetur, ſi ex viribus meis mediocre, ſi ex animo maximum. Vale & diu viue. Romæ idibus Iulij 1605.

GRA-

Digitized by Google

GRATVLATIO PRO CREATIONE SANCTISSIMI D. N. PAVLI V. PONT. OPT. MAX.

Ad eumdem Sanctiſ. D.N.Paulum V.Doctiſſimorum hominum Mæcenatem, & patronum meum colendiſſimum.

Conſuluit feſſis diuina potentia rebus;
Et lucem terris reddidit ecce ſuam:
Quæ quondam obſeſſum tetra caligine cælum
Terruit; humanum non peritura genus.
Gaudia quis premere? aut quis tam exultantia corda
Suſtineat fictis continuiſſe modis?
Eia age magna tuis exulta Roma triumphis;
Pectore nec teneas gaudia tanta tuo.
Ecce ſuo ſpirant felicia ſæcula mundo;
Aurea erunt noſtris ſæcula temporibus.
Externum timeas vllum nec Roma tumultum;
Hoſtiles aliquas nec vereare minas.
Deſine mendaci plebem terrere ſuſurro;
Pontificis Pauli numine ſoſpes eris.
Tu quondam, (Ah facinus) ciuiles paſſa tumultus;
In te vertiſti ſanguinolenta manus.
Tu miſeram tolerare famem; tu peſtis acerbæ
Semina; ſeruitium tu graue docta pati.
Nil grauius paſſura dies age Roma quietos;

Nulla tibi Paulo Principe fata nocent.
Quis neget hunc patrem patriæ ?ſi ciuibus vrbem;
Vrbi ſi reddet mænia; templa Deo.
Paule diu viuas; quo Roma ſuperbit alumno;
Nonniſi te viuo; vita futura mea eſt.
Hæc lingua ante meis hærebit faucibus; ante
Hæc dextra attractis concidet articulis.
Quam memori ex animo; & grato de pectore migret
Pontificis Pauli maxima cura meo.
Annue conanti per laudes ire tuorum;
Deque meo pauidos excute corde metus,

Pro incoronatione Sanctiſs. D. N. Pauli V. Opt. Max. Pontificis.

CVM Roma & ſacro Patrum ſpectante Senatu;
Ornaret Pauli ſacra corona Caput.
Relligio erexit vultus & vertice in alto — ſcilicet Vaticani.
Cæſariem ponens talia verba dedit.
Paule dies Vrbi ac Orbi lætiſſima venit;
Qua fient magno debita ſacra Deo.
Vrbem atque in vaſtum merito ſpatiabor in Orbem;
Vt diſcat ritus barbara turba pios.
Felices gaudete animæ, quia, Principe Paulo;
Non eritis ſtygiæ grata rapina manus.
Hoc duce non metuent ſæuos armenta Leones;
Hoc duce ſi qua manent crimina deficient.
Imperet & multos Paulus faſtidiat annos;
Necniſi longæuus, cum volet, aſtra petat.
Vt toto demum felix Oriente ſubacto;
Quæ facit ipſe alijs otia; longa terat.
Da mihi te placidum dederis in carmina vires
Ingenium vultu ſtatque caditque tuo.

Gra-

Digitized by Google

Gratulatio pro fauſta illa & Vrbi atque Orbi optatiſſima die, quæ fuit ſexta menſis Nouembris 1605. dies Dominica; qua incredibili gaudio totius Romanæ Curiæ tantus Pontifex Latheranenſis Eccleſiæ poßeſſionem adeptus eſt.

CInge comam Lauro, ſpargas per compita myrtum;
Cretatos ferias Martia Roma boues.
Bellica dent tonitrus ſummas tormenta per arces;
Dent ſonitum litui, timpana pulſa, tubæ.
Thure fluant aræ, ſacros chorus incinnat hymnos;
Soluantur vero debita vota Deo.
Nam Paulus ſacro Patrum comitante Senatu;
Quem ſequitur gaudens Curia tota Patrum.
Ille triumphanti ſimilis ſpectabilis oſtro;
En Latheranenſis maxima templa petit. Scilicet Eccleſiæ.
Roma tibi auratos componit ſedula currus
Queis vectus ſacra conſpiciare via.
En redeunt nobis pluſquam felicia ſæcla;
Credite Saturni ſæcla beata patris.
Nunc tellus nobis ridet vaga; ridet & aer;
Mellaque dant quercus, flumina lacte fluunt.
Dij latias tutantur opes; & Principe Paulo
Deſpicit hoſtiles Itala terra manus.
Ipſa parens rerum venturi & prouida tantæ
Lætitiæ nobis omnia ſigna dedit.
Quin mihi, qui toto muſas Helicone cienti
Vix poteram iuſtis verba coire modis,
In verſum coniecta fluunt: ſubitoq; calore
Non accerſito cuncta nitore cadunt.
Paule ades afflictis ſpes o fidiſſima rebus;

Digitized by Google

Vno quo fulta eſt publica cauſa duce.
Vindice quo firmis tandem radicibus hærens;
Libertas magno parta labore viget.
Quam bene; cum cinctus triplici diademate frontem;
Arces reſpexit tunc Deus ipſe ſuas.
Iungite iam tauros pueri ac incumbite aratris;
Lætaque mollito credite farra ſolo.
Iucundamque ſimul pallis adiungite vitem,
Vnde etiam nato ſerior vmbra cadat.

Gratulatio pro eadem die ad eumdem Sanctiſſ. D. N. Paulum V.

PAVLE pijs populis mundoqne recepta recenti;
Aureus & nondum ferreus Orbis erat.
Nec prociſſa graues vertebant arua iuuenci;
Vinea nec lachrimas falce refecta dabat.
Mella ſed aereæ ſudabant roſcida ſiluæ;
Et lac pro gelidis flumen habebat aquis.
Nunc Paule ad primos redit en ſua quercus honores;
Quos habuit mundus cum tener Orbis erat.
Quercus glande ſua quæ quondam Heroas alebat;
Et Phæbi quercus cura ſacrumque nemus.
Cecropiæ pinguis cui maxima ſilua Mineruæ
Cedat, & Herculeis populus apta Comis.
Cedat & ipſa ſuo Laurus plebeia luco;
Inflexæque pedem Baccicha ſerta hederæ
Paule boni mores noſtro rediere ſub æuo,
Vt primum poſito conſtitit illa ſitu.
Simplicitas inculta comam, rectique cupido;
Et lex & probitas & ſine labe fides.
Corpore nunc quanto mens eſt præſtantior ipſo;
Pontificis Pauli gloria maior erit.

O Deus

Digitized by Google

O Deus immenſos Paulo feliciter annos
Concede, hæc Vrbi grata futura tuæ.

Gratulatio pro eadem die ad eumdem Sanctiſs. D.N. Paulum V. O.M.P.

QVid referam Paule? hæc mens non ingrata peroptat
Pontificem tantum concelebrare tuba.
Aſpice? dum rapidis ſæuit feruoribus æquor;
Vt medio fregit ſe calor ipſe die.
Vt molles ſpirant zephiris felicibus auræ;
Dulcius & ſolito murmurat omne nemus.
Vtque ſui oblitus; flammis quæ exuſſerat ante;
Iam reficit pulſa Seirius arua ſiti.
Ipſe pater dempto tandem luctamine Tybris
Tranſuolitat nullo remige nixa ratis.
Inque vias omnes thuris flammantur honores;
Et vellunt Sanctos florida ſerta focos.
Nam Paulus nobis tulit aurea ſæcula vere;
Aurea Saturni nunc rediere ſenis.
Sidere ſub cæli niueo veſtita colore;
Partibus in cunctis lilia terra creat.
His nigra aſſurgant vaccinia, canna liguſtra;
Pallentes violæ, purpureæque roſæ.
His fratres ornent frontem, ſua tempora muſæ;
Sanctus amor pharetram, doctus Apollo lyram.
Exhilarentque dapes & vina liquentia menſas;
Nec renuat feſta quiſque madere die.
Inque orbem Ciathos referens non lente miniſter;
Illa diem feſtum denſa corona ſonet.
An ego ſubductis vitæ rationibus amens;
Pontificis Pauli non meminiſſe queam?
Cuius opem expertus toties melioribus annis

Fortu-

Fortunæ potui temnere tela meæ.
Ah potius peream tali quam crimine turpis
Arguar? & firma non puter eſſe fide.
Et Paulum referent viuaci carmine muſæ,
Ni mihi ſæua nimis fata fuiſſe velint.
Iure tibi noſtram muſam Sanctiſſime Paule
Allicis, & de te concinnuiſſe iuuat.
Vt blande oculos capit, vt iucundior aures
Detinet incentu dexteriore ſonus.
Sic cepere tui penitus mea pectora mores,
Teque foret tacitum prætericiſſe nefas.
Grandia non curat, quem pura mente rogamus,
Sed pia; ſint quamuis munera parua; Deus.
Paule nec Eoas Princeps ſanctiſſime gemmas
Spondeo; nec rubri quas tulit vnda maris.
Sed niueæ deuota tibi pia munera mentis;
Qui dedit hæc verè maxima quæque dedit.
Ante ergo mi Paule polus ſua ſidera linquet;
Quam fieri poſſit non memor ipſe tui.

Pro Pontificatu Sanctiſs. D. N. Pauli V. P. O. Max. Romani. Cum Roma patria talis, atq; tanti Pontificis incredibili gaudio exultet & merito quæ Pontif. talem genuit.

CVM primum totam fama euulgauit in Vrbem,
Pontificem Paulum dicere iura pijs.
Scilicet Aſtreæ dedit oſcula pax, & aperto
Lapſa Polo, ſpes hinc conſtitit; hinc pietas.
Et Cereri iniuncta vndanti bona copia cornu eſt;
Vberibus Tyberis lacteus iuit aquis.
Vidimus erectos populorum ad ſidera vultus;
Oraque Romulidùm rore rigata Pio.

Ipſa

Digitized by Google

Ipſa gerens ſpicas læua atque altaria dextra
  Roma triumphales hos dedit ore ſonos.
Inuiſi haud penitus ſuperis ſumus, impia quamuis
  Noſtra acuant magnos crimina cælicolas.
Pulſæ artes rediere bonæ; redit abdita virtus,
  Pierius vatum pectora tangit honos.
Ipſa ego quam bene nunc Paulo coniuncta recolam
  Sacra Dei, atque Orbi fasque piumque feram.
Me lati labefacta petet gens accola Rhæni;
  Parebitque iterum legibus illa meis.
Quam male ſuada nimis lingua olim addixerat vmbris,
  Gens pia, quaque pium nil ſtetit Orbe magis.
Sic erit, excipiamq; humilem deſueta Britranum;
  Libantem ſacris oſcula mox pedibus.
Dij patrij ſeruate patrem; ſeruate Quirites,
  Vt mea cæleſti fama reſurgat ope.
Edidit hæc vota antiquæ Roma æmula Romæ;
  Seq; viſa eſt pulchrior ipſa ſibi.

Ad Romam feliciſſimam, quæ talem atq; tantum Pontificem genuit, qualis eſt Paulus V. Opt. Max. Pont. Et talis, atq; tanti Pontificis laudes fama etiam per vniuerſum Orbem celebrat, cuius ad pedes Reges ipſi ſeſe ſuppliciter abijciunt; cuius nutu pendent leges, cuius arbitrio panditur cælum.

QValis in immenſo nitidiſſimus æthere fulget
Phœbus; in Heſperei deuexo margine Ponti,
Flagrantes ſeu ſoluat equos, ſeu forte lauabit
Oceani ſub fonte comam; Phœbesq; micantis

Roſcida

Digitized by Google

Roſcida flammiuomos linquat poſt terga iugales;
Cum nullæ liquidum nubes per inane feruntur;
Denſa nec aereos decurrunt tegmina tractus;
Obſcuram latis vmbram facientia terris.
Sic tua fulgenti micat ignea lumine virtus
Maxime Paule; tuum pectus rutilantibus aſtris
Splendet,& ætherea colluſtrat lampade mundum.
Non ita ſcintillant ardentes luce Pyropi;
Nec placido gemmas quas Ganges gurgite mittit;
Aut quas Eoi voluunt ad ſidera fluctus.
Pandite Caſtalides ſublimem Helicona ſorores,
Et propio re meis aſſueſcite numine ceptis
Aſpirare; nemus namq; obſtupefactus amænum
Cogor adire, ſimul ne tot mihi gaudia ſecum
Deleat vna dies, quiq; aurea fecit Apollo
Gaudia, tam celebrem non merſerit æquore famam.
Paule tuum nomen volitans euulgat in Orbem.

ideſt fama.

Vnde oritur, qua decurrit ſol aureus, & quo
Mergitur vnda furens; Boreas immurmurat, omnes
Luſtraui, & quæ tot cinguntur ab ęquore; terras.
En quaſcunque vides horrendo in corpore plumas;
En oculos totidem, totidemq; ſonantia laudes
Ora tuas, totidemq; aures tibi maxime Paule
Explicui; & moui peregrino nuntia cælo.
Semper inceſſos pro te ſcrutata receſſus.

Fama per totum Orbem celebrat laudes Pauli V. & re & nomine Op.Max. Pontificis.

Fama vocor facies potuit mea pandere nomen,
(Fama tamen Paulo innumeros quos induit artus
Exercet; ſtudioſa tibi nunc Paule laborat.)

Loquitur fama.

Niliacas volitans Pauli iam geſta per vrbes
Edocui, nomenque tuum iam Regia Memphis
Iam Meroe, & centum Thebarum extollere portæ
Cepere, atque vmbris cancro fraudata Syene.
Quodque magis mirere tibi ſua tympana pulſant
Aethiopes; gens naſcentis magni accola Nili,

Diues

Digitized by Google

Diues Arabs tua Paule ingentia facta canoro
Proſequitur cantu, auriferis te Lydia limphis;
Te phryges atque truces gaudentes ſanguine Thraces.
Te Babylon latijs quondam tumefacta trophæis.
Audijt Armenius tot laudes. Audijt Indus.
Narrat Nyſa feros ſub te debellarier hoſtes,
Et nomen laudeſque tuas propagat in Orbem.
Notior eſt illis quam Ganges, Auſidus, & quam
Nunc Hypanis: tumidus Celtarum ſanguine Liris.
Caucaſio ſpeculata iugo defeſſa reſedi;
Hinc & in Eoas Pauli præconia terras
Diffudi; ipſa nouo populos ſermone repleui.
Liquerunt ſtupidi ſubito ſua vellera ſeres;
Attentaſq; meis præſtabant vocibus aures.
Omnia ceſſabant commertia; dummodo laudes
Perciperent ò Paule tuas; ac inclita facta.
Audijt hæc, calidum quæ maxima vergit in Auſtrum
Trapobane; hæc Scythæ gelido audiuere ſub axe.
Quid memorem Hyrcanos? quid Amazonas? hic quoq;
Oſtentat Peltis tua præclariſſima geſta: (texus
Hinc ad Hyperboreos concretum & frigore pontum
Atque plagam niue perpetua glacieq; rigentem
Perueni, & populos ſub terris viuere ſuetos.
Quique ita ſub terris tantos didicere triumphos.
Excepit me deinde ferox per frigora durus
Sarmata; per ſiluas immania corpora durans,
Per fluuios monteſque altos, vaſtaſque paludes.
Paule per immenſos ingens Herecynia ſaltus
Peruia facta mihi; tota & Germania paſſim
Confluit, ingenita arma ſilent, ortæque repente
Bellorum pauſæ; magna illi audire voluptas,
Maxima Romulidum quæ geſſeris optime in Vrbe,
Quam cuperet tua ſigna ſequi gens effera; iuſſis
Et parere tuis, ſub te duce vincere, ſub te

Læta mori, ante tuos nomen protendere vultus.
O decus Heſperiæ gentis: quo Martia Roma
Nunc ſibi vere placet tantoque ſuperbit alumno.
O columen noſtrum magnum; quo te ore decenti
Extulerim; mihi mille licet ſint ora? quid vnquam
Expediam? quod Paule tuis bene conſonet actis?
Quem modo non populi terrarumve angulus omnis
Laudibus innumeris certant efferre; ſed ipſi
Non ceſſant Reges reuereri, fama per Orbem
Spatiata diu, mea poſt præconia vidi
Regem forte tui oſtentare numiſmata vultus.
Quem fingi attenteq; nimis curauerat, & te
Vt poterat præſente frui, inuictumq; tueri.
Hic eſt ſi neſcis, nunc cui inuictiſſima ſeruit
Gloria Lyſiadum, cui Durius inclita ſubdit
Cornua, & obſequitur per amæna Boryſtenis vnda.
Quot mihi viſa locis rerum pictura tuarum.
Quæque per extremas Orbis depingitur oras.
Maxime Paule mihi quis crederet Orchadas omnes
Barbarico te efferre ſono, tua pangere facta.
Poſtremamque nouo cantu tibi plaudere Thule.
Dumque ego ab infeſtis redeo celebrata Britannis;
Littora Luuernæ luſtrans glacialia, vidi
Plaudentes Morinos, dum laudes Maxime Paule
Ore tuas caperent; celebrando geſta per Orbem.
Læta Pyrineis vbi feſſas montibus alas
Compoſui; explicitis meq; extuli in aera pennis.
Nil niſi qua expandit ſe Hiſpania; reddere plauſus
Aſpexi tibi Pontifici Pæana canendo.
Votaq; Callecus tibi publica; & Auſtur auarus
Horridus ad Solis ſoluebat Cantaber aras.
Suſcitat antiquos rediuiua Numantia manes.
Maiores potuiſſe negat te præſide vinci.
Nec verti in cineres te defendente Saguntum.

Qua

Qua Tagus auriferis nunc in mare voluitur vndis;
Qua dirimens totam Heſperiam decurrit Iberus.
Omnia læta ſonant & feſta fronde videres
Exornata: tamen præ cunctis lætior ambit
Luſitanorum gens; quæ tibi maxime Paule
Dedita miratur tua maxima & inclita facta.
Lyſiadum Populus te Luſitania tota
Et dominum patremqne vocat, quæ maxime Paule
Defendit Latias Romana Colonia turres.
Viſitur alta tuis Calpe decorata trophæis:
Grandiaque Herculeæ teſtantur facta columnæ.
Poſtquam ab Hiſpanis in ſummum Athlanta volaui.
Me Satyri cinxere auidi Faunique bicornes,
Paule tibi magnas certabant reddere laudes.
Plurima mox illinc audiri tympana & illinc
Cimbala, & argutos reddebat fiſtula cantus.
Proxima nec ceſſant de te loca: ſed tibi plaudunt
Et fortunatæ quas cingunt æquota terræ.
Hinc adij Numidas Getuloſque ac inde furentes
Barcæos,Lybicoſque omnes, quos gloria terret
Nunc tua; & inuictum exhorret tota Africa nomen.
Italiæ precibus reuocata à Gladibus, ecce
Ad te nunc redeo; de te maiora per Orbem
Narratura: ſequor tua nunc veſtigia, pennas
Paule meas reparo tibi, cui nunc noſtra nouantur
Munera, debenturque tibi mea cantica ſoli.
Pergit in immenſum Pelagus ſanctiſſime Paule
Pergit in immenſum pelagus: qui lata tuarum
Aequora virtutum fragili decurrere cimba
Audet: in aeream poſitis attollere pennis
Se cupit ille plagam: vaſtoque micantia cælo
Sidera complecti numero; conteſque lacuſque
Et maris Oceani diſperſas longius vndas:
Exigua penitus comprehendere neſcius vrna:

Non eſt noſtra tuis meritis par muſa: nec omnes
Quot quot in his caſtris; tua quæ largiſſima nuper
Auxit & auget adhuc manus, augebitque fouendo
Militiæ generoſa tuę vexilla ſequuti.
Arma manu valida capimus nigra Tartara contra
Tartareoſque duces, non omnes quotquot vbique
Experti tua dona ſumus, dum Luciuomus Sol
Annalem faciet rapida vertigine curſum
Dicemus te digna ſatis: nec pro omnibus vnus.

Ad Romam iterum atque iterum feliciſſimam, quæ talem atque tantum Pontificem, genuit & merito gloriari debet quæ tantam lucem vniuerſo Orbi peperit qualis eſt Paulus V. & re & nomine Opt. Max. Pontifex.

CVM premeret totum bellis flagrantibus Orbem
Aequoraque & vaſtas miſceret milite terras
Felix Roma fuit: famaq. impleuit Olimpum.
Non contenta ſolo vidit non inuida mundo
Aurea ſæcla nouo: nam quæ Saturnia terris
Pax dabat, hoc peperit ſibi Martia Roma triumphis.
Scilicet immenſo quaſcunque ſub æthere gentes
Terra creat, quæ cincta mari pandique premique
Aſpicit,& medio Phæbum decurrere cælo;
Sub ſua ſceptra dedit · forti Nabathæa ſubegit
Regna manu; & Lybiam ſub cancri ardore iacentem.
Quæque rigent duro ſpatioſa Erymanthidos Vrſæ
Arua gelu: rigidæ quæ ſemper inertia brumæ.
Omnia iam ſileant veterum præconia laudum.
Gloria Romanis hæc partha laboribus ingens:

Sed

Sed peritura fuit: nunc eſt tua gloria maior
Roma potens: nunc æternum manſura per æuum.
Quando tibi Paulus nulli pietate ſecundus
Aurea ſæcla Orbi referet, quid magne triumphos
Paule tui dicam, quos duces ex hoſte ſuperbo?
Macte animi pietate Dei reuerentia nulli
Altius infixa eſt menti, clementia nulli
Maior; & in leges nemo propenſior æquas.
Tu Romæ commune bonum, tu publica quæris
Commoda, tu claros doctrinæ laude proboſque
Inſignes pietate viros complecteris; atque
Efficis. vt dignis ſint præmia certa laborum.
Excipis humane cunctos; nec deſpicis vllum
Leniter affaris miſeros; inopeſque benignis
Proſequeris donis: ſuperas virtutibus omnes:
Mox Deo plenus, cunctis lętantibus vnus
In terris habitans penetras ſumma atria cæli.
Ergo Tartareas migrauit pulſa ſub oras
Vana ſuperſtitio, veterumque inſana Deorum
Relligio, ac multos late dominata per annos
Exulat impietas: non inficit aera falſos
Ante Deos Panchæus odor, nec victima monſtris
Cæſa iacet, regnat pietas, micat aurea Chriſti
Victo errore fides, veluti æthere phæbus in alto.
Cum fugat obſcuras noctis nitidiſſimus vmbras.
Roma etiam terras mittis ſacra iura per omnes.
Quos olim Imperij populos ditione premebas
Nunc regis: & ſancta ſub Relligione tueris.
Salue Vrbs chara Deo quondam caput Orbis & almę
Nunc fidei: tu Marte viros genuiſſe feroces
Docta, ſolo gentes potuiſti æquare ſuperbas.
Nunc claros virtute viros genuiſſe, fideque
Doctior, ætherei rutilantia ſidera mundi
Multo ciue reples, tunc poſt fera prælia victo

Orbe

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Orbe triumphabas: nunc victo Acheronte triumphas,
Sed Deus o quantis iactatur ſancta procellis
Cimba Petri, quam ſæua pijs molitur Erymnis
Excidium, clauſtriſque Erebi graſſatur apertis.
Quam multæ ſcelerum facies, gens impia Chriſti
Diſcuſſit ceruice iugum, ſequiturque nefandæ
Caſtra voluptatis, bellumque fidelibus infert
Innumera crudele manu, ſpumantia late
Aequora conſpicies, pingueſque rubeſcere campos
Sanguine Chriſticolum: & ſæuis ruere omnia monſtris
In peius retroque trahi, ſublapſa putabis.
Sed Deus ex alto qui nos defendit Olimpo
Nunquam aberit, populumque ſuum prohibebit acerbis
Caſibus, oppreſſum duro ſuccumbere bello.
Et quamquam oppugnans ſæuis exercitus armis
Hinc ruat atque illinc totoque Acheronte malorum
Sæuiat ira virum: nunquam expugnabit, & alta
Trudet Sede fidem, manet indelebilis illa
Dum ſteterit rapidi ſublimis machina mundi.
Contemnetque minas: veluti alto in gurgite rupes:
Quæ pontum & flantes immobilis aſpicit Euros.

Ad Sanctiſs. D. N. Paulum V. Opt. Max. Pontificem quo Summo Pontifice declarato tanta ſubito exſtitit bonorum alacritas, & exſultatio, tanta improborum fuga & trepidatio, vt neque illi quidquam ſibi optatius potuiſſe contingere neque hi vſpiam ſe iam tuto poſſe conſiſtere arbitrarentur.

AEternam Pauli tollere gloriam
Audax aggrediar? quem Deus optimum
Paſtorem

Paſtorem miſerans exitium ſui
Cari conſtituit gregis.
Nil nos incolumi te Paule terreat
Ne ſæuo pecudes ore voret lupus.
Neue in ſepta dolis ac pede laneo
Repat nocte ſagax latro.
Nam, quacunque ruant horribiles feræ;
Nil de te metues: ſed generoſior
Inſurgens proprium pro tibi credito
Effundes grege ſanguinem.
Quis prudentior eſt? quis vigilantior?
Quis fraudes varias inſidiantium
Eludit melius? retibus & ſuis
Fures illaqueat feros?
Quod ſi vel ſcabies tentet ouem mala;
Vel languor premat: vt ſerpere latius
Non poſſint, medicas continuo manus
Aegrotæ pius Paule admoues.
Errantem aſt aliam per iuga montium;
Per valleſque cauas quærere niteris,
Inuentamque tuis ad ſocias oues
Exultans humeris refers.
Te paſtore igitur nil gregibus poteſt
Impendere mali: ſi maris impetus
Quàmuis horrificum mugiat vndique;
Petri non metuet ratis.
Donec tu teneas clauum; & ab infimis
Iactatam eripias æquoribus; potes
Si fortuna premat, frangere perfidæ
Omnem vim ſapientia.
Felix cui ſuperum munere contigit
Te quocumque ſequi, & cui tua cernere
Fas eſt ora: decus nonniſi Regium; ac
Diuinum referentia.

Nos

Digitized by Google

Nos etſi amor tui ſemper tenuit
Nec tecum licuit ducere temporis
Quidquid Deus dedit, vt fuimus tamen
Semper ſic erimus tui.

Ad eundem Sanctiſs. D. N. Paulum V. Pontificem Opt. Max. qui quamquam in terris poſitus verſatur in cælo, & cum hic nobiſcum viuat. Eſt tamen ciuis Sanctorum & domeſticus Dei, in cuius ſtemmate Draconem integrum gentis talis atque tanti Pontificis pulcherrimum atque nobiliſſimum inſigne aſpicimus, qui nobis protendit atque præſignificat fore, vt immanis ille Draco; vel potius illa multorum capitum hydra, quæ non paludem aliquam Lernæam ſed maiorem totius Orbis partem iamdiu obſederat ſub tali atque tanto Pontifice fore diſſecandam.

ODAE II.

SI quiſquam ardet pierijs modis
Te ferre cælo Rex hominum atque pater;
Quid ante dicat poſtue neſcit;
Tantus honos viget atque virtus.
Tu clari olimpi nutu aperis fores;
Et Regna Ditis triſtia Tartara
Occludis, atque manes profundos
Eripis Eumenidum flagellis.

Tu

Tu ſæua Martis bella minantia ;
Cædem, peſtemq; & miſeram famem
Tellure propulſas ab omni,
Ac populis tribuis quietem.
Hinc alma pax, Religio, & fides
Inſtar nitentis Luciferi micant;
Hinc aurea e penſis reducent
Sæcla tibi triplices ſorores.
Iam dulce nectar defluit amnibus,
Et mella ſtillant è Iouis arbore,
Nam fruge ſeſe floribuſq;
Perpetuis humus ipſa veſtit.
Huc ergo tandem progenies Deum
Aſtræa cæli labere ſedibus,
Paulus Pontifex numine Dei
Nobis eſt conceſſus ab æthere.
Ergo ò Tibri caput iam altius efferas.
Nam imperante Paulo verè Romano,
Ganges vortice & Indus
Pontum te minor influet.

Ad eumdem S.D.N. Paulum V.P.O.M. vt ſi cui fortè adhuc dubium fuerit, homiminumne iuditio an diuino numine Summi Pontifices crearentur (quod tamen nemini vnquam bono dubium fuit) ea tota dubitatio in S.D.N. Pauli V. comitijs ſublata eſſe videatur, adeo vt vere dicere poſſimus. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.

ODE III.

EN ſecura tuo præſidio volat
Puppis per liquidas Oceani vias,

Spretiſq; omnibus vndis
Iam portus ſubit hoſtium.
Huic cedat celebris nauis Iaſonis,
Quamuis vellus ouis vexerit aureæ;
Et fulgentia cælo
Inter ſigna renideat.
Hæc luſtrata Dei lampade Maximi,
Cunctis ſplendidius ſideribus micat,
Et fert nocte fugata
Nobis perpetuum diem.
Nec Typhis, pelagus qui trabe nobili
Olim audax ſecuit, ſe tibi comparet.
Non tot fluctibus actus
Non tantis ſpolijs grauis
In portum redijt. Tu ſuperans fretum,
Quod præter ſolitum immurmurat,
Tuto littore ſiſtis
Reddiſq; incolumen ratem.
Quem fers aſſidue plurimus eſt labor,
Et pondus fateor non tolerabile;
Quod iactantibus Euris
Nauem per freta ſuſtines.
Perfer, non facili ſcandere tramite
Montem fas homini, ſole vbi clarior
Virtus tempore in omni
Tantis fulget honoribus.
Sic multa ille Paulus peruigil Tertius,
Cuius nomen refers, aſpera pertulit,
Cum magnis ſibi factis
Aeternum peperit decus.
Et virtute Paule tua, & prudentia
Depulſis procul hinc Religionibus
Falſis; Roma refulget
Longe pulchrior indies.

Ad eumdem S. D. N. Paulum V. P. O. M.

in

Digitized by Google

in quo, ſi quis ſubtilius requirere inſtituat, ita reperiet multis ſæculis nullum Pontificem fuiſſe, qui ad veteres illos Silueſtrum Leonem, Gregorium; & huiuſmodi alios viuendi ratione, & conſuetudine propius acceſſerit.

ODE IV.

CVm ſolus meditor maxime principum,
Quot tu ſuſtineas mente negotia;
Et curæ tibi circum
Quam magnæ ſaliant latus.
Sic mecum tacitus, ni tot in arduis
Rebus ferret opem, qui regit aurea
Solo ſidera nutu,
Iam feſſus rueres ſolus.
Vt nauis rapido ſe obijcit æquori
Rectore & validis freta rudentibus,
Et ſpernit maris æſtum
Et nigri rabiem noti.
Sic tu Sancte Pater ſponte laboribus
Offers te innumeris; ſint licet ardui,
Fidens arte magiſtri
Qui nos omnipotens regit.
Nec te res variæ, atq; innumerabiles
Quæ circumuolitant aſſidue, obruunt.
Quin tu ducis ab ipſis
Vires vſq; negotijs.
Tu quandoq; des requiem tibi,
Ceſſauit quoq; poſtquam athereas domos
Terras, aera, vndas,
Mirum fecit opus Deus.

Ad eumdem S.D.N. Paulum V.P.O.M. Cui hiſce miſeris, atq; turbulentis tempo-

ribus Eccleſiam ſuam gubernandam com miſit Deus, vt IESV Chriſti Saluatoris noſtri nomen eodem animo, eadem voce, iiſdem ritibus ab omnibus inuocetur, vt tandem fiat ſub tali atq; tanto Pontifice vnum ouile, & vnus Paſtor.

O D E V.

PAule è veteri magnaq; familia
Burgheſia, Deus quam tibi credidit;
Romæ maximo cum gaudio
Saluam reſtitues ratem:
Vires ipſe tibi & conſilium Deus
Præbet, quo valeas æquoris omnia
Effugiſſe pericla
Ventorum rabiem, & minas.
Hinc Syrtes licet, hinc Acroceraunia
Dum curris tumidum per mare, mugiant,
Et caligine cæca &
Nimbis fluctus inhorreat.
Patris ſummi tamen te ſapientia
Qua verè tenebras diſcutit, & domat
Ponti monſtra profundi,
Infidum per mare regit.
Vt venti validi vis facilè aere
Collectas nebulas diſſipat, & diem
Cælo inuecta ſereno
Sublatam ex oculis refert.
Paulus non aliter Pontifex creatus
Terrorem omnem diſpulit Roma,
Excuſſitq; tenbras,
Lucem patriæ ſuæ inferens.
Ecce terras omnes moribus ornauit, &
Eraſit ſcelera, & fræna ſuperbiæ

Iniecit

Digitized by Google

Iniecit, docuitq;
Iuſtum quid deceat virum.
At quo oblita tui muſa ruis procax?
Quin inflata nimis contrahe, contrahe
Vento vela potenti, &
Te in portum cito conijce.
Culte Antoni tuis viribus ingenij
Apta materia hæc atq; laboribus;
Te non lucidus ordo
Non facundia deſeret.
Ergo ſume tibi Pontificis Pauli
Scribere laudes, & tanti Principis
Famam extendere, tellus
Quacumq; eſt habitabilis.
Dum immortale ſonans grandia concinnes,
Exacto tenui pumice carmine
Dicam quæ mihi ocellis
Me me ſurripuit ſuis.

Ad eumdem. Cuius vita omnibus nobis pro exẽplo eſt, volũtas pro lege, vox pro oraculo.

ODE VI.

QVis dignè poterit carminibus ſuis
Tanti facta viri intexere? facta quis
Tam magna & tot virtutes
Pro tot meritis dicere poterit?
Perfectum ingenio nil niſi maximi
Maieſtas recipit Pauli, at mihi
Paruum eſt, nec bene cultum,
His nec rebus idoneum.
Non hæc conueniunt alta rati æquora
Noſtræ, remigijs omnibus & duce
Nudæ, queis ſine fluctus
Perferre haud potis eſt ſatis.
Turpe eſt; cum integra non ſint carbaſa;

Atq;

Atq; vſus pelagi non bene cognitus?
Te committere ponti
Certis ſponte periculis.
At quis nauigij non rudis artium
Se tam vaſta maris mittet in æquora?
Necnon vndique magnis
Laudum turgida fluctibus.
In te ego verum iuſtitiæ decus;
Magnamq; rerum prudentiam, & integram
Mentem ſilens mirabar alto
Sæpe ſtupore metuq; plenus.
Ceu ſi Deorum numina ſacraq;
Quis toto adoret pectore; ſed prope
Accedere attrectareq; illa
Pertimeat manibus prophanis.
Cum nulli fas putarem tenui ſono
Dicere te Principum maxime
Paule, quem non auſit alter
Mæonius celebrare vates.
Sed voce Phæbus me increpuit graui.
Quid tu moraris lentior?
Exue vanum timorem, & ſume dignos
Materia hac animos celebri.
Quamuis enim vaſtum vndiq; ſit mare;
Quod parua puppis non queat ingredi
Tuto; attamen cælum ſerenum
Polliceor, facileſq; curſus.
Vt non paueſcas fluctibus obrui
Faſtidientis cuncta ſuperbiæ:
Iræ nec immanis procellas,
Nec ſcopulos metuas furoris.
Quamuis hic maximus Pontifex
Paulus trahat originem à magna
Burgheſia familia clara & geſtis
Et factis innumeris ſuorum.

Vir-

Virtutibus admirandis clarus ipſe
Semper exſtitit; alto quoq; animo, &
Splendore vitæ hunc potuiſſe conſtat
Omnes ſub orbe ſuperare viros.
Eſt pectus Paulo rebus in arduis
Forte & ſecundis inſuperabile,
Eſt ſermo prudens, ac diſertus
Conciliare potens furentes.
Eſt grata morum ſummaq; lenitas
Iuſto qua apertus cuiq; aditus patet,
Omniq; doctrina expolitum
Ingenium, ſtudijſq; cultum.
Cinxit ſacra huius Patris caput
Corona, & diademate cinctus triplici
Frontem; totam curiam
Romanam gaudio impleuit perenni.
Tantiq; famam non patiar viri
Obliuione carpere, ſed vagum
Spargam per Orbem, qua micantes
Hi radij penetrare poſſint.
Nec vana credas hæc fore, quæ cano;
Nam lege ſanxi non violabili,
Vt quiſquis huius mira ſumet
Facta lyra celebrare ſua.
Aeternitatis munere maximos
Aequet poetas, ſit licet infimus
Rudiſque, ne tam clara virtus
Nec meriti pereant honores.
Nil ergo cauſæ eſt quo minus audeas
Summis ad aſtra hunc tollere laudibus,
Debeſq;, nam famam parabis
Tu quoque, qui in tenebris iaceres.

Ad eum-

Digitized by Google

Ad eumdem creatum ſummo vniuerſi ſacri Collegij conſenſu, nouerat enim eius vitæ integritatem, nouerat eius maximos labores pro bono publico ab ineunte ætate ſuſceptos.

ODE VII.

Miteſcunt poſitis aſpera ſæcula
Bellis; atque furor brachia
Vinculis mille iacet, terrificum fremens
Incaſſum ſine viribus.
Roma, tibi omnia retulit bona
Pontifex Paulus. iam rediit quies
Fruſtra optata diu. iam rediit bonis
Antiquum decus artibus.
At nullum interea te capit otium
O noſtrum columen, maxime Principum,
Et lux tuæ Martiæ Romæ, quam Tiberis
Pugnacem rigat aurifer.
Fines imperij ſed tibi crediti
Luſtras ſollicitus, ſi furor hoſticus
Erumpat ſubito, dum placida omnia
Ne quidquam temere occupet.
Ceu cum tuta ſilent æquora nubibus
Expulſis; reficit nauita prouidus
Nudas remigijs & gelidis rates
Quaſſatas Aquilonibus.
Vt cum vela iterum ſiue neceſſitas
Seu res mobilibus tradere poſtulent
Ventis; non rabiem palleat Africi
Nigri non fremitum æquoris.
Sic tu, Paule oculis omnia lyncæis
Exploras, aditus obſtruis hoſtibus,
Vt, quacumq; ruant, vim impauidus feras,
Eludaſq; ſagax dolos.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google